



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

30. de ordine charitatis, secundum ordinem meriti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

ut quis paratus sit pro fratribus mori. Sed nūc
mox ut nascitur, iā prorsus perfecta est? Imo.
ut perficiatur, nascitur: cū fuerit nata, nu-
tritur: cū fuerit nutrita, roboratur: cū fue-
rit roborata, perficitur: cū ad perfectionē
venerit, dicit, Cupio dissolui, &c. Quem *Phi. 1.*
progressum charitatis etiam Veritas commē-
dat, dicens: Maiorem hac dilectionem ne- *Ioh. 15*
mo habet, quām ut animā suam ponat quis
pro amicis suis. Quod vtique dictum est de
opere dilectionis, quia maior dilectionis af-
fectus non est, quām ponere animam pro
aliis. Nec te moueat quod ait, pro amicis:
qui enim ponit pro amicis animam, ponit &
pro inimicis, ad hoc ut fiant amici.

*Superiori
dist. demō-
stratum est
de ordine
charitatis
sec. quadru-
plicē modū
dilectionis,
nūc de ordi-
ne charita-
tis sec. quā-
titatē me-
riti.*

DE CHARITATE QVANTUM AD MERITI PERFECTIONEM.

DISTINCT. Trigesimæ
CAP. Vnicum.

*Magis meritorium est diligere amicos,
quām inimicos.*

Hic solet queri, quod potius sit plu-
risque meriti, diligere amicos, quām
inimicos. Sed hæc comparatio impli-
cata est. Si enim conferatur dilectio amico-
rum tantum, dilectioni amicorum & etiam
inimicorum, perspicua est absolutio. Sed si

in aliquo uno homine, qui diligit simul amicum & inimicum, quid horum potius sit queratur, obscura est responso: quia de metis motu id agitur, de quo nobis non est facile iudicium, an unus & idem motus sit erga amicum & inimicum, sed erga amicum intensior: an duo: unus erga inimicum, qui est difficilior: alter erga amicum, qui est frequentior. Nec incongrue putatur melior qui est frequentior. Vel si unus idemque est, inde in Enc. potior, ubi ardentior est, non improbe exi-
ca.27. stimatur. Aug. tamen sentire videtur, maius Obiectio.

Mat. 9 esse diligere inimicum, quam amicum: quia diligere inimicos dicit esse perfectorum, & benefacere eis: neque hoc à tanta multitudine impleri, quanta in oratione dominica exauditur, cum dicitur, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos, &c. Sed dicendum ibi cōparationem factam inter dilectionem, qua diligitur tantū amicus, & dilectionem, qua amicus & inimicus.

DE CHARITATE QVANTUM ad durationem.

D I S T I N C T . Trigesiū primæ

C A P . Primum.

Charitas viæ potest desperdi. f. 201 b. l. 10

I

Llud quoque non prætereundum, quod quidam asserunt charitatem semel habitam ab aliquo non posse excidere, nul-

motus.

Dilutio.